


1526. = ic. 31. Sbris.

157  
Ex mss. arch. Itau. auge. Regis.

Sigismundus I. Rex Polonia  
Prelatis et Baronibus, ac liberis  
Civitatibus in Transylvania  
congregatis. 18

Reverendi in Christo Patres, Spe:  
ctabiles, et Magnifici, Generosi, Egre:  
gii, Nobiles et Famati Nobis sincere  
dilecti. Accepimus literas Vestrarum Do:  
minationum, quibus nobis conventum su:  
um, quem ad consulendum salutis Patrie  
sue nuper in Oppido Tokan habuerunt,  
declarant. Et quum considerent, se absque  
Rege et Directore suo, nihil certi aut  
solidi aggredi et constituere posse. In:  
dixerint conventum generalem Regni  
pro festo Sancti Emerici Ducis et Confes:  
soris in alba Regali postulantes a nobis  
ut ad illum Oratores nostros mitteremus  
fuerunt Nobis ipsae literae Vestrarum  
Dominacionum in his modernis turbatis:  
simis temporibus non medicari solatio,  
q̄ intelligamus illas id agere et curare,  
quod in eo casu reliquum salutis et opz  
portunum videtur, unde speramus adju:  
tore Domino Deo, et sanctissima illius  
Matre Vestrarum Dominacionum matu:  
ro consilio Regem imprimis salutarem

Deinde





Deinde ordinem necessarium, et postremo  
firmam et certam defensionem adver:  
sus tantum hostem istic adhuc constitui  
posse. Ad quod illarum saluberrimum in:  
stitutum adjuvandum, mittemus libentif:  
sime citra ullam moram Oratores nostros  
ut optant ad Conventum ipsius, verum  
quia hodie primum literas De hac re  
vestrarum Dominationum accepimus, tam  
subito Oratores expedire non potuimus.  
Curabimus tamen, ut quantum fieri poi:  
terit, non morentur. Quod Dominatio:  
nes Vestre si tardius venerint, boni  
consulent, et angustiae temporis ascri:  
bent, interim Dominus Deus Dirigat,  
omnia Consilia et Actus illarum, in  
gloriam Nominis sui, et Regni istius  
salutem et incrementum. Que vale:  
ant feliciter. Cras feria quinta  
Vigilia Omnium Sanctorum

Anno Domini Millesimo  
Quingentesimo Trigesimo  
Septimo.

